

“ Ipse manus haustâ victrices abluit undâ :  
Anguiferumque caput durâ ne lædat arenâ,  
Mollit humum foliis, natasque sub æquore virgas  
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusæ.  
Virga recens, bibulâque etiamnum viva medullâ  
Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus,  
Percepitque novum ramis et fronde rigorem.  
At pelagi nymphæ factum mirabile tentant  
Pluribus in virgis, et idem contingere gaudent :  
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.  
Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,  
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque  
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.”

OVID. *Metam.* iv.